

2

autem illis quibusdam quae de Lacedaemoniis et eorumque republica
quae sententia fuerit.

Fuerunt inter Athenienses Platonis temporibus multi viri, magnam ad partem nobilissimo loco geniti, qui quum aegre ferrent, quod in rebus civilibus summam videbant potestatem esse apud plebem, quae incredibili levitate de gravissimis rebus ageret, nec quemquam quidquam valere, nisi qui ad vitem adulacionem multitudinis descendisset, paene de Atheniensium republica desperantes Lacedaemoniorum mores, leges, instituta praeferabant, illorum severitatem ac constantiam summis laudibus celebrabant nec ullam publicae calamitati medicinam afferri posse arbitrabantur, nisi patriam Laconiae civitati quam simillimam reddidissent. Inter hos viros, quos λακωνίοντας appellant, magna tamen intercedebat dissimilitudo, quorum alteri Lacedaemoniorum more se vestire ac membra exercere, duriorem illorum vivendi rationem imitari satis haberent et, quum talia ficerent, continuo germani Lacedaemonii et esse et putari sibi viderentur, alteri autem ista aspernantes paternis legibus obtemperare, quaecunque antiquitus tradita erant, pio animo colere, novarum rerum studio abstinere, parva ac modica cupere proprium Laconiae civitatis esse et in his rebus virtutem praestantiamque illam Doricam positam arbitrarentur. Platonem ipsum, quem constat laudatorem Lacedaemoniorum fuisse, non fecisse cum prioribus illis viris, satis intelligi potest ex compluribus locis, quorum unus est in Gorg. p. 515e, ubi Calliclem quandam acerbissimo de Pericle judicio a Socrate facto dicentem facit: ista esse judicia τῶν τὰ ὅτα κατέχότων, quos, ut apertum est, leni quadam contemplatione perstringit. Pluribus etiam verbis in Protag. p. 342b ii, qui in Graeciae urbibus Lacedaemonios imitantur et ὅτα κατάγονται μισθύμενοι αὐτοὺς καὶ ἡμάντας περιελέπονται καὶ φιλογυμναστοῦσι καὶ βραχεῖς ἀναβολὰς φοροῦσι reprehenduntur, propterea quod multum proficere sibi videntur, dum re vera aut nihil aut ridiculi aliquid factiunt. Nec mirum, quod hae nugae, haec insanorum virorum studia, quae etiam a comicis poetis, ut ab Aristophane, passim carpebantur, ab ingenio summi philosophi abhorrebant. Plato autem etsi longe ab horum homunculorum ineptiis aberat, non tamen effugit vituperationem Niebuhrii nostri, qui, ut notissimum est, in disputatione, quam de Xenophontis Hellenicis scripsit, quum compluribus aliis de causis tum potissimum propter Platonis favorem Lacedaemoniorum acerbissimum de eo judicium fecit et bonum hunc civem fuisse aut Athenis dignum negavit. Quo in judicio, etiamsi quam maxime improbamus, magnum illud Niebuhrii ingenium, si quidem

singularis hominis solet esse fortiter et amare et odisse, bene cognoscimus. Causam Platonis contra Niebuhrum magna cum eloquentia Delbrueckius, vir illustris, olim dixit duobus libris, quorum alter defensio Platonis, alter de Xenophonte inscribitur. Purgavit sane vir dissentissimus Platonem in hunc modum, ut jam eum bonum civem appellare vix quisquam dubitet, quamquam amor ille erga Lacedaemonios negari nullo modo potest; qui amor quomodo comparatus sit ac sententia Platonis de Lacedaemoniorum republica qualis fuerit, haud alienum nobis videtur exponere, propterea quod philosophum etiam in hac re optime defendi putamus, si ipsum pro se loquentem fecerimus.

Primum igitur de causis querentibus nobis, quibus ductus Plato Lacedaemoniorum rem publicam adamaverit, non negligendum videtur, quod ex nobilissima gente (pater enim Aristo et mater Perictione e numero Eupatridarum erant) ortus est. Quam rem reputans Niebuhrius infeliciter eum dicit natum esse, quum verisimile sit eum jam a teneris, ut ajunt, unguiculis amorem erga Lacedaemonios quandam quasi hereditate accepisse et conjunctum cum Critia, postea principe illorum triginta virorum, qui ei ex matre cognatus erat, illius de rebus civilibus cogitationibus jam a prima aetate esse imbutum. Platonem enim nobilitatem suam non parvi aestimasse et genus majorum, paene dixi, jactasse nec mediocrem inde spiritum sumpsisse, id sane facile ex iis, quae de Charmidae genere praedicat, suspicari licet. Dicit enim Charm. p. 157d : καὶ γὰρ καὶ οἰκανοί, ὁ Χαρμίδη, διαφέρειν σε τῶν ἄλλων οὐ γὰρ οἴμαι ἄλλον οὐδένα τῶν ἐνθάδε ράδιος ἀν ἔχειν ἐπιδεῖξαι, ποίαν δυοῖν οἰκανοῖς συνελθούσαις εἰς ταῦτὸν τῶν Ἀθήνησιν ἐκ τῶν εἰκότων καλλίων ἀν καὶ ἀμείνων γενίσεται η ἐξ ὧν σὺ γέροντας ἐκ δὴ τοιούτων γεγονότα εἰκός σε εἰς πάντα πρώτον εἶναι. Quum autem Charmidas frater esset Perictiones, matris Platonis, laudes, quibus ille propter majorum splendorem extollitur, in Platonem ipsum redundant. Ac ne patris quidem Aristonis, quamquam ejus rarer fit mentio, desunt laudes in Rep. p. 368a : οὐ κακῶς εἰς ὑμᾶς (Glauconem et Adimantum alloquitur Socrates), τὴν ἀρχὴν τῶν ἐλεγείων ἐποίησεν ὁ Γλαύκωνος ἐραστῆς εἰπών : παιδες Ἀρίστωνος κλεινοῦ θεῖον γένος ἀνδρός.

Hunc enim Aristonem patrem et Glauconem Adimantumque fratres Platonis fuisse, quamquam multos de ea re dissentire video, Boeckhius prooemio scholarum universitatis Berolinensis a. 1840 dilucide mihi videtur demonstravisse. Manifestum igitur est philosophum nobili suo generi non parvum tribuisse. Quod autem loco supra e Charmida allato dicit, bonos viros procreari a bonis, ea in omnibus omnium temporum civitatis opinio ejus factionis fuit, quae imperium apud gentes nobiles esse vult. Quam opinionem apud Platonem saepius reperimus, ut Cratyl. p. 394a : ἔσται γὰρ ἐκ βασιλέως βασιλεὺς καὶ ἐξ ἀγαθοῦ ἀγαθὸς καὶ ἐκ καλοῦ καλός ἐὰν μὴ τέρας γίγνηται. Cf. Alcib. prior. p. 120d : πότερον εἰκός ἀμείνους γίγνεσθαι φύσεις ἐν γενναῖοις γένεσιν η μή; δῆλον ὅτι ἐν τοῖς γενναῖοις. Pari modo saepenumero Plato veritatem et sapientiam paucorum esse hominum, errorem et stultitiam multorum affirmat. Ob eam rem in omnibus fere dialogis contemptiōnēm quandam plebis reperies, cuius rei exempla afferre paene supervacaneum videtur. Velut in Critone p. 44d et p. 47 exponit nihil sami esse in judicio vulgi, quippe quid sit justum aut injustum, quid bonum aut malum, quid honestum aut turpe, distinguere nullo modo possit. Ita in Republica iis locis, quibus democratiae quasi imaginem depingit, multitudinem intemperantem, avaram, mobilem, seditiosam, cupiditatibus deditam dicit. Quae quum ita sint, mirum non videtur, eum Lacedaemoniorum rem publicam, in qua summam apud nobiles gentes auctoritatem esse legibusque studia multitudinis coerceri videret, Atheniensi anteposuisse et cum desiderio quodam Spartam oculos

vertisse. Nec tamen illi patricii, ut ita dicam, spiritus tantum valuerunt, ut Plato Lacedae-moniorum rempublicam amatus fuisset, si Lycurgi instituta mala fuissent. Erant autem ita comparata, ut Platoni non injuria prae ceteris placerent, et primum quidem, quoniam illis antiquissimam et purissimam Graeciae civitatis formam expressam esse intelligebat. Nam quae-cunque antiquitus erant tradita, ea gens Doria majore cum studio quam Iones conservaverat, nec sunt omnes leges institutaque, quae a Lycurgo originem ducunt, ab eo inventa et exco-gitata. Quin etiam tantum abfuisse videtur, ut Lycurgus quam plurima innovaret, ut anti-quissima quaque investigaret et in certam formam redacta posteritati traderet. Itaque quae apud Cretenses ex communibus Dorum moribus retineri Spartaeque jam abrogata esse videbat, denuo recepit et in civitatem suam introduxit. Dum igitur ceterae Graeciae civitates novarum rerum studio paullatim ipsae sui dissimiles fuit et quodammodo a Graeco ingenio atque in-dole deficiunt, Cretensium et Lacedaemoniorum civitates prisci temporis pristinaeque virtutis quasi exemplaria ac monumenta manserunt. Atque hanc ob causam Plato in iis, quae antiquitus erant tradita, perseverandum studioque novarum rerum abstinendum putabat, ut civium mores ad avitam praestantiam revocari et, ut ita dicam, magis Graeci, quam fuerant, fieri possent. Sed non modo, quod Spartiatae iisdem semper virtutibus studebant, quibus majores praestantes fuerant, Plato laudator Laconiae civitatis exstitit, sed — atque hanc rem gra-vissimam censeo — quod quum in ceteris Graeciae urbibus nusquam cives publica institutione ad virtutem vocarentur, apud Lacedaemonios ipsa res publica magistra morum et disciplinae adjutrixque erat virtutum, quod etiam Xenophon de rep. Lacedaem. c. 10 hisce verbis collandat : ὥσπερ οὖν ἴδιωται ἴδιωταν διαφέρουσιν ἀρετὴς οἱ ἀσκοῦντες τῶν ἀμελούντων, οὗτοι καὶ ἡ Σπάρτη πασῶν τῶν πόλεων διαφέρει μόνη δημοσίᾳ ἐπιτήδευσισα τὴν καλοκάγαθίαν. Cete-rarum sane Graeciae civitatum aut nihil aut parvi intererat, quomodo liberi educarentur, Spartae educatio publica certisque legibus definita nec singulorum voluntati erat permissa. Platonici autem loci, quibus demonstratur esse quandam virtutem, ad quam Lacedaemonii publica educatione imprimis sint perducti, infra a nobis tractabuntur. Jam vero quemad-modum Plato optimae civitati, cuius simulacrum animo ejus obversabatur, id agendum existimabat, ut et cives quam optimos efficaret et ipsa quasi effigiem virtutis expri-meret, ita ab illis viris, qui reipublicae gubernandae operam dare vellent, ut et ipsi vir-tute ornati essent et civium animis virtutem ingignere possent, postulavit. Hoc quidem sensu Alcib. prior. p. 134b : εἰ δὴ μέλλεις, inquit, τὰ τῆς πόλεως πράξειν ὁρθῶς καὶ καλῶς, ἀρετῆς σοι μεταδοτέον τοῖς πολίταις. Nec in his viris, id quod jam in Menone exposuit, eam virtutem satis posse putabat, quae aut ὁρθὴ δόξῃ aut bona quadam naturae ingenique indole non adjuncta ratione procederet, sed quae fructus esset doctrinae. Quam superiorem virtutem quod sciebat omnibus illis hominibus a multitudine Atheniensium celebratis defuisse, factum esse putabat, ut neque cives meliores redderet nec filios suos eam virtutem, qua ipsi excellere sibi viderentur, docere possent. Sic in Menone p. 94, ut exemplum afferam, magno vertit vitio et Themistocli, quod Cleopantem suum, et Aristidi, quod Lysimachum, et Pericli, quod Paralum Xanthippumque, et Thucydidi, quod Melesiam ac Stephanum non ita educa-verit, ut inter cives praestarent. Sed viri erudit non desunt, quibus judicia, quae Plato de Pericle quidem fecit, nimis acerba et injusta esse videantur. Veruntamen quodammodo a Platone Periclem omnibus fere viris, qui inter Athenienses ad rempublicam gubernandam accesserint, anteponi eorumque de numero magna cum laude eximi facile cognosces e Phaedr. p. 270a, quo in loco, ubi Periclem praestantissimum in eloquentia fuisse dixit, deinde haec addit :

πᾶσαι ὅσαι μεγάλαι τῶν τεχνῶν προσδέονται ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φύσεως πέρι.... ὁ καὶ Περικλῆς πρὸς τῷ εὐφυῆς εἶναι ἔκτησατο· προσπεών γὰρ, οἷμα, τοιούτῳ ὅντι Ἀναξαγόρᾳ μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὃν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας, ἐντεῦθεν εἴλικεσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ προεψόρον αὐτῇ. Cum hoc loco conferatur Alcib. prior. p. 118 c, ubi e numero eorum, qui sine doctrina reipublicae regendae operam dederint, Periclem excipit, quum non modo in juventute is Pythoclidem quendam et Anaxagoram audiverit, verum etiam vir factus cum Damone familiaritatem habuerit. Erat igitur ex sententia Platonis talis Pericles, ut si spectares eos principes civitatum, qui tunc erant praestantes, facile videretur superior. Plato autem quum reputaret, qualem esse deceret virum civilem, ut esset quam perfectissimus, multa Pericli deesse intellexit neque in hac re τοῖς τὰ ὡτα κατεαγόσι (nam qui inter Athenienses Lacedaemonios imitabantur, Periclem vehementer oderant) assentiri dubitavit. Cf. Gorg. p. 515e : ἀλλὰ τόδε μοι εἰπέ, εἰ λέγονται Ἀθηναῖοι διὰ Περικλέα βελτίους γεγονέναι ἢ πᾶν τούναντίον διαφθαρῆναι ὑπ' ἐκείνου, ταῦται γὰρ ἀκούω, Περικλέα πεποιηκέναι Ἀθηναῖος ἄργος καὶ δειλούς καὶ λάλους καὶ φιλαργύρους, εἰς μισθοφορίαν πρῶτον καταστήσοντα. Ad quae Callicles : τῶν τὰ ὡτα κατεαγότων ἀκούεις ταῦτα, ὡς Σώκρατες. Sin autem quaerimus, num Plato eam virtutem, quam Pericli abjudicabat quamque in viris civilibus esse volebat, Lacedaemonie reperiri crediderit, respondendum videtur, instituta illie, si non perfectam virtutem, at certe virtutis particulam quandam spectasse Spartaeque summo semper in honore fuisse illam ab Atheniensium principibus neglectam educationem.

Sed quum Lacedaemonii quam minimam sibi cum reliquis Graecis societatem esse vellet et domesticas res suas quam longissime ab hospitum oculis removerent, facile accidere multis Atheniensium potuit, sicut C. F. Hermannus in libro suo de Platonis philosophia p. 26 sq. demonstravit, ut Lacedaemoniorum civitas quasi imago pulcherrimis coloribus picta eorum animis obversaretur ac mirum et paene incredibilem in modum egregia esse videretur. Nec tamen Hermanno plane assentiri possumus, qui putet Platonem quoque juvenem ab hac paene caeca admiratione non abfuisse et postquam vir factus sit, tum demum remisisse aliquantum ex nimio amore Lacedaemoniorum et ad integrum incorruptumque judicium descendisse. Immo pro explorato habuerim, quamquam in prioribus Platonis scriptis summis laudibus celebrari Lacedaemonios, posterioribus cum laude non raro vituperationem conjunctam esse confitemur, philosophum semper aequo fere amore Laconiae civitatis fuisse. Plato enim quum Graeciae civitates, quae tunc erant, circumpiciebat animoque Laconicam cum ceteris comparabat, illam judicabat inter omnes praestare; quo autem postea accuratius mente ac cogitatione optimae civitatis effigiem adumbrabat, eo saepius fieri necesse erat, ut Lacedaemonios ab hoc perfecto statu longe abesse animadverteret in eorumque institutis non pauca reprehendenda viderentur. Haec est causa, cur in Republica, quo opere formam optimae civitatis, et in libris de Legibus, quibus τὴν ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἀρίστην πολιτείαν describit, severiora de Lacedaemoniorum rebus judicia reperiantur. Quam rem quum Astius negligeret nec sciret, qua ratione singula Platonis judicia, quae tam varia tamque diversa esse viderentur, inter se conciliari possent, in hac discrepantia causam invenit, cur omnes illos dialogos, quibus niam voluntatem studiumque Lacedaemoniae civitatis inesse existimabat, et quidem non modo Minoëm, quem hodie omnes subditicium esse librum consentiunt, et Alcibiadem priorem magaremque Hippiam, sed etiam Lachetem et Critonem Platoni adjudicandos esse statueret. Dicit enim in libro suo de Platonis vita et scriptis p. 495: multos Socraticos et praecipue Xenophontem Dorismo cuidam, quem falsum nominat, deditos fuisse vitam Lacedaemoniorum,

quae tunc fuerit, imitantes, in Platonis contra animo viguisse quasi ideam sive speciem Dorismi, qualis in libris de Republica scriptis expressa sit. Interdum sane — tantum concedendum est — quum Lacedaemonios laudat philosophus, ironia quadam, ut ita dicam, et lepida urbanitate utitur resque facete exornat in hunc modum, ut non eos Lacedaemonios, qui ad Eurotam, sed qui in ejus mente habitabant, nobis ante oculos ponere videatur. Ita notissimo illo loco, qui est in Protag. p. 342, non omnia accipienda sunt, quasi sint serio dicta; orationi enim intextae sunt facetiae jocantis philosophi, quas si ignorares, laudes Lacedaemoniorum justum modum non tenerent. Nam plerosque ibi demonstrat et antiquissimos sapientes fuisse Spartae illosque septem, quorum nomina tota Graecia celebrabantur, Laconiae sapientiae, cuius proprium fuerit breviloquentia, discipulos fuisse. Eodem loco, qui longior est, quam qui exscribatur, ξενηλασίαι illas apud Lacedaemonios hoc consilio scribit fieri, ne hospites cum sapientibus, qui Spartae sint, consuetudinem ineant neve cives semper secreto cum sapientibus suis colloqui cogantur. Jocari igitur Platonem quis est quin sentiat? Fiebant enim ξενηλασίαι re vera secundum Xenophontem de rep. Lac. ὅπως μὴ ράδιουργίας οἱ πολῖται ἀπὸ τῶν ξένων ἐμπληκαίνω. Quod autem loco citato sapientia magis quam fortitudine prae-stare Lacedaemonii dicuntur, quam ob causam Plato praecipit, ut qui illos recte imitari ve-lint, philosophiae dent operam, id a vera Platonis sententia tantopere abhorret, ut hoc loco non Lacedaemonios ipsos, sed, ut ait Astius, quandam Dorismi ante oculos habuisse putandus sit. Simili modo in eo sermone, quem Socrates in Alcib. prior. p. 121 de educatione regis Persarum regumque Lacedaemoniorum instituit, ut Steinhartius rectissime judicat (vide ejus librum I, p. 209) res facete exornantur nimisque augentur, quod ex orationis colore intelligi potest. Laudata illo loco regum Lacedaemoniorum nobilitate bonaque insti-tutione sic pergit Socrates p. 122c: εἰ δὲ αὐτὸς ἔθελεισεις εἰς σωφροσύνην τε καὶ κοσμότητα ἀπο-βλέψαι καὶ εὐχέρειαν καὶ εὐχολίαν καὶ μεγαλοφροσύνην καὶ εὐταξίαν καὶ ἀνδρείαν καὶ καρτερίαν καὶ φιλοτιμίας τὰς Λακεδαιμονίων, πᾶσα ἀνήγησαι σαυτὸν πᾶσι τοῖς τοιούτοις. Quamquam re vera his fere rebus Lacedaemonii saepe excellebant, hoc tamen loco vis Platonicae laudis in-fringitur et quod consulto philosophum virtutes nimis extollere atque cumulare appetet et quod deinde Graeciae divitias Spartam confluxisse neque unquam inde redisse dieit: πολλὰς γὰρ ἡδη γενέσεις εἰςέρχεται μὲν αὐτός (ἀργυρίον καὶ χρυσόν) ἐξ ἀπάντων τῶν Ἑλλήνων, ἐξέρχεται δὲ οὐδαμός, ἀλλὰ ἀτεχνῶς κατὰ τὸν Αἰσαπόν μῦθον, ὃν ἡ ἀλώνης πρὸ τὸν λέοντα εἶπε, καὶ τοῦ εἰς Λακεδαιμονία εἰςόντος μὲν τὰ ἔγνη τὰ ἔκειται τετραμένα δῆλα, ἐξίοντος δὲ οὐδαμῆς ἢν τις ἔσοι.

In his igitur locis ante Platonis oculos ideam quandam Dorismi obversatam esse confi-temur; quae autem laudes in Lachete et Critone proferuntur, nihil in iis auctum esse, nihil nimium, nihil exornatum videtur. Quod enim ad Lachetem pertinet, laudibus illis, quas Astius immodicas censet, paene vituperationis aliquid admixtum est. Quaeritur in illo dialogo, num ὄπλομαχία digna sit, quam adolescentuli discant. Laches Atheniensis, qui in iis artibus, quae ad bellum gerendum pertinent, palmam dat Lacedaemoniis, illam pugnandi rationem usui non fore arbitratur atque se ita sentire vir bonus nullam ob aliam causam dicit nisi propter exemplum Lacedaemoniorum, qui quidem τὴν ὄπλομαχίαν rejiciant (v. p. 182e): ὅτε οἴμαι ἐγὼ τοῦτο, εἰ τὶ ἦν, οὐδὲ ἀν λειτθέναι Λακεδαιμονίους, οἵς οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ ἢ τοῦτο ζητεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅ τι ἀν μαθόντες καὶ ἐπιτηδεύσαντες πλεονεκτοίεν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον. Infra pergit: τούς ἐν ὄπλοις μαχομένους ἐγὼ τούτους ὄρῳ τὴν μὲν Λακεδαιμονία ἥγουμένους εἶναι ἀβατονίερὸν καὶ οὐδὲ ἀκριφ ποδὶ ἐπιβαίνοντας, κύκλῳ δὲ περιόντας αὐτήν. Quae verba si eum

iis, quae supra ex Protagora attuli, comparantur, remissiorem landem continent illudque οὐδέν ἄλλο μέλει αὐτοῖς est paene vituperationis simile.

Jam vero de Critone tantum abesse judicamus, ut Plato p[ro]ae Atheniensibus Lacedaemoniis faveat, ut in nullo libro major amor patriae appareat, in nullo se Plato magis Atheniensem praestiterit. Landat sane Plato cives suos perraro, ut Legg. p. 642c, ubi si quis Atheniensium bonus sit, eum egregium in modum bonum esse praedicat; ut Protag. p. 337d, ubi Athenas πρωτανεῖον τῆς σοφίας appellat; ut Tim. p. 24e. Menex. p. 237e. Criti. p. 109e et 112e, quibus locis etiam deorum providentia caeli temperationem in Attica naturamque locorum idoneam esse ad bonos sapientesque homines procreandos demonstrat. In Critone autem, si verum quaerimus, tota oratio paene splendida laudatio Athenarum existimanda est. Praeclaro enim illo loco, quo leges eum Socrate colloquentes indicuntur, hic nunquam fere Athenas reliquise dicitur et ita quidem nullam ob aliam causam fecisse nisi quod patria ei p[ro]ae ceteris civitatibus placuerit. Nam si nos, inquit Leges, tibi non placuissemus, licuissest tibi vel in aliam quandam urbem transmigrare vel Cretam Spartamve, οὐ δὴ ἐκάστοτε φῆς σύνομεῖσθαι (Criton. p. 52e). His quidem verbis Plato Socratem demonstrat semper fere in ore habuisse laudem Lacedaemoniorum (qualem illum etiam Xenophon in Memor. proposuit), neque tamen eo secius oratio Socratis, ut dixi, ita est comparata, ut ille, quum obtemperandum esse patriae legibus exponat, quas ab initio probaverit, quibus et vitam et tot tantaque bona debeat, pro se, pro amore patriae verba facere videatur. Quid autem? Nonne et in Socrate et in Platone id laudabile est, quod quum tam multa Lacedaemonie essent, quae cum suis placitis consentanea esse censerent, tamen per totam vitam Athenienses manere maluerunt; nonne re vera cives bonos se praestiterunt, quod nusquam nisi Athenis idoneum locum studii suis dari, nusquam nisi in illo litteris artibusque florente agro fructum aliquem philosophiae suae exspectari posse judicabant?

Hippiam vero majorem, qui longam de Lacedaemoniis expositionem continet, multis de causis genuinum esse Platonis opus negaverim. Nec tamen ea, quae de Lacedaemoniis disseruntur, suspectum reddunt librum, nec ab ingenio Platonis abhorrent. Laconica enim civitas p. 283c. εὐνόμος et paulo post Lacedaemonii ipsi εὐνομώτατος appellantur; sed jam prius a scriptoribus Lyurgi institutis nomen εὐνόμιας, ut ab Herodoto et Tyrtaeo aliisque imponi solet. Neque offendimus, quod p. 284a. εὐ ταῖς εὐνόμοις πόλεσιν scriptor in summo honore esse virtutem praedicat, quodque Hippias sophista, qui artem liberorum optime erudiendorum profitetur, Socrati interroganti, quae sit causa, cur Lacedaemonii ei saepe Spartae versanti filios tradere noluerint, sui purgandi causa respondet: se Spartae non esse indigenam, Lacedaemonios odio habere educationem, quae aliunde extrinsecus afferatur, ξενικὴν παιδείαν οὐ νόμιμην αὐτοῖς παιδεύειν (p. 184c). Sequenti autem sermone, quo Lacedaemonii dicuntur Hippiam nec de astris eorumque motibus nec de geometria, quum eorum multi ne numerare quidem possint, nec de litteris disserentem audire voluisse, libenter vero ubi de heroum clarorumque virorum originibus, de coloniis olim conditis, denique de antiquissimis quibusque rebus confabulatus sit, aures animumque attendisse, mores et studia Lacedaemoniorum tam bene tamque accurate describuntur, ut ab hac parte nihil Platone indignum videatur. Attamen illa tam longa de Lacedaemoniis narratio quid sibi velit, quum omnino non cohaereat cum eo quod est dialogo propositum, non intelligo. Quum autem notus esset Platonis erga Lacedaemonios amor, verisimile est, ex hac re eum, qui Hippiam Platoni subjicit, argumentum sumpsisse.

Transeo silentio, quae in Minoë de Lacedaemoniis judicia continentur, quoniam viri eruditi hunc librum a Platone abjudicandum optimo jure censem. Alcibiadē posteriorem verbo tantum attingo. Videntur enim in hoc opere (ut Hermannus de Platonis philosophia et scriptis p. 587 exponit) ex Alcibiade priore nonnulla exscripta esse et in his quidem praeципue, quae de divitiis Lacedaemoniorum, quos scriptor tota Graecia locupletiores dicit, proferuntur (v. p. 149a). Pulcherrimum de Lacedaemoniorum precibus locum accuratius persequeremur, si verba Platonis esse existimaremus.

Sed de his quidem prioribus Platonis scriptis hactenus. Priusquam autem orationem de iis, quae in Republica de legibusque libris judicia de Lacedaemoniorum rebus reperiuntur, instituamus, monendum est, sententiam Platonis non in iis solum, quae nominatim de Lacedaemoniis disserat, cerni, sed ex iis etiam locis eruendam esse, quibus formam optimae civitatis describens Laconica instituta ante oculos habuisse videatur. Est igitur in hac disputatione etiam eorum institutorum ratio habenda, quae Platonem non tam ex sua mente hauisse quam Spartae invenisse indeque mutuatum esse et in rempublicam suam introduxisse verisimile est. Ac de his quidem rebus jam olim Morgensternius in commentationibus de Platonis republ. p. 305 sq. copiose et docte, nostro autem tempore Hermannus in libello, quem de elementis Platonicae reipublicae scripsit, elegantissime disputavit. Quorum virorum adiutus studiis orationem sic instituam, ut quibus in rebus Plato instituta Laconica aut probaverit aut reprehenderit, doceatur.

Propositum est apud Platonem sicut homini, ita etiam civitati, ut sit quam optima. Atquae justitiae illius Platonicae est, tres animi partes, quae sunt τὸ λογιστικόν, τὸ θυμοειδές, τὸ ἐπιθυμητικόν, ita inter ipsas conjungere et conciliare, ut et ratio ceteris imperet et ira opitulet rationi cupiditasque rationi obsequatur. Est autem de civitate et de homine una eademque disputatio. Quum enim tribus animi partibus totidem civium ordines respondeant, unum est, quod imperet i. e. τὸ βουλευτικόν, duo autem obedient, τὸ ἐπικουρικόν et τὸ χρηματιστικόν. Ita in Republ. p. 442d τὸ ἄρχον et τὸ ἀρχομένω distinguntur. Manifestum est igitur obsequium Platonī quasi vinculum civitatis visum esse ob eamque rem Lacedaemoniorum rempublicam propter egregiam obedientiam, qua cives excellebant, ei placuisse. Laudat ab hanc virtutem Lacedaemonios Socrates apud Xenoph. Mem. 4, 4, 14 hisce verbis: Λυκούργον παταμεμάθηκας, δοτί οὐδὲν ἀν διάφορον τῶν ἄλλων πόλεων τὴν Σπάρτην ἐποίησεν, εἰ μὴ τὸ πεθερᾶι τοῖς νόμοις μάλιστα ἐνειργάσατο αὐτῷ. Erat enim Lacedaemone prorsus militaris quaedam disciplina, quam Plato quoque in Alcibiade τὴν εὐταξίαν inter Lacedaemonias virtutes numerans landaverat. Pulcherrimus autem locus, quo Spartae summo vertitur honori egregia in leges pietas ac reverentia, apud nostrum legitur in Legg. p. 634e: ὑπῆρχε τοῖς Λακεδαιμονίοις εἰς τῶν καλλίστων ἀν εἴη νόμων, μὴ ζητεῖν τῶν νέων μηδένα ἔαν, ποῖα καλῶς αὐτῶν ἢ μὴ καλῶς ἔχει, μηδὲ φωνῇ καὶ ἐξ ἐνὸς στόματος πάντας συμφωνεῖν, ὡς πάντα καλῶς κεῖται θέσην, καὶ ἔαν τις ἄλλως λέγῃ, μὴ ἀνέχεσθαι τὸ παράπαν ἀκούοντας· γέρων δὲ εἰ τίς τι ξυννοεῖ τῶν παρ' ὑμῖν, πρὸς ἄρχοντά τε καὶ πρὸς ἡλικιώτην μηδενὸς ἐγνωτὸν νέου ποιεῖσθαι τοὺς τοιούτους λόγους. Hanc legum auctoritatem Plato sciebat multum distare ab Atheniensium consuetudine, apud quos brevissimo tempore leges vel fieri vel abrogari solebant. Cum illa legibus praestanda obedientia, sine qua nec Platoni nec Lycurgo respublica sana esse aut ad concordiam harmoniamque pervenire posse videbatur, artissime conjunctum est hoc alterum, quod uterque cives se totos reipublicae dare omnemque vitam et summa studia ad communem salutem applicare voluit. Neque enim quidquam, si aut Platonem aut Lycurgum audimus, homo valet

extra civitatem nec potest ad humanam virtutem perduci, nisi civis est. Non est civitas hominis causa, sed homo civitatis causa, sicut pars aliqua totius causa est (v. de Rep. p. 462c). Quae quum ita sint, reipublicae maxime refert, homines inde a tenera aetate ad certam normam publice probatam perduci. Ob hanc rem institutionem liberorum publicam esse oportet nec parentibus licet, suo arbitrio liberos erudire, sed quam educationem respublica optimam habuit, ea sumenda est. De publica igitur educatione Plato et Lycurgus consentiunt. Accedit, quod Plato etiam viam, quam Lycurgus ingrediendam putaverat, ut respublica facillime cives ad finem propositum educare posset, probavit. Quod ut fieret, Lacedaemoniorum pueri, ut scribit Plut. Lyc. 16, a septimo aetatis anno parentibus abrepti membra magnae cuiusdam familiae i. e. civitatis facti sunt, in qua familia, qui eadem fere aetate erant, ut fratres cum fratribus versabantur, maiores autem natu in juniores paene patriam potestatem exercebant. Simili modo Plato in republica sua cives fratres et consanguineos et esse et putari voluit. V. p. 463c : παντὶ γάρ ϕ ἀν εντυγχάνῃ τις ἡ ὡς ἀδελφῷ ἡ ὡς πατρὶ ἡ ὡς μητρὶ ἡ νίσι ἡ θυγατρὶ ἡ τούτων ἐκγόνοις ἡ προγόνοις νομεῖ ἐντυγχάνειν. Sed Plato quum Lycurgum non satis fecisse et rem tantum inchoasse, non ad finem perduxisse arbitraretur, mulieres inter eos, quos custodes civitati praefecit, communies esse jussit eaque re familiam vitamque domesticam plane sustulit et sanctissimum societatis humanae fundamentum pervertit. A quo vizio quamquam Spartanorum consuetudinem longissime abesse videmus, tamen semina Platonici instituti Lacedaemonie reperiri viri eruditii demonstrarunt. Licuit enim illic quibusdam sub conditionibus, quas Xenoph. de rep. Lac. I commemorat, ex alterius uxore liberos procreare. Praeterea quum Spartae ne feminae quidem a publica institutione excluderentur (virgines enim illic secundum Plut. Lyc. 14 cursu, disceo, jaculis exercebantur), Plato Lacedaemoniorum aemulus exstitit, quod non virgines solum, sed omnes mulieres et musicam discere et in palestra nullo vestitu se exercere (v. de Rep. p. 452a 6), quin etiam ad bellicos labores perferendos civitatemque una cum viris custodiendam idoneas fieri voluit. Non placet ei, quod Lacaenae belli peritiae non sunt postque nuptias exercitationibus gymnasticis intermissis totas se vitae domesticae dedunt (de Legg. p. 806). Plato igitur, quamquam apud eum latius res patet, ceterum Lacedaemoniorum exemplum imitatur; atque memorabilis est similitudo, quod Plato de feminis sine vestimentis se exercentibus dicit : ἀρετὴν ἀντὶ ἱμάτου ἀμφίσσονται, Plutarchus vero de Lacaenis sic scribit : ἡ γύμνωσις τῶν παρθένων οὐδὲν αἰσχρὸν εἶχεν, αἰδοῦς μὲν παρούσης, ἀκρατίας δὲ ἀπούσης.

Si jam singulos Platonicorum civium ordines consideramus, in tertio, ut ab hoc ordiamur, qui opifices hominesque quaestus faciendi studiosos complectitur, nonnulla Lacedaemoniorum institutis consimilia reperiuntur. Comparat Morgensternius tertium ordinem cum Lacedaemoniorum Helotis, Hermannus cum Perioecis, habet autem cum utrisque id commune, quod a liberali institutione custodum excluditur. Accedit, quod opera tertio ordini permissa, eadem fere sunt, in quibus Lacedaemonie Perioeci et Helotae versabantur, agricultura, mercatura, ceterae opificum occupationes. Ac sicut Spartae interdum fiebat, ut Helotae una cum civium filiis eruditi, si moribus ingenioque praestabant, πόθων appellati in Spartanorum numerum reciperentur, ita etiam Plato, si quis in tertio ordine egregia animi indole esset natus, eum in superiores ordines ascendere voluit.

Quod ad eos pertinet, quos Plato principes reipublicae fecit, cum gerontibus illis Lacedaemoniorum nonnulla quidem videntur communia, latius tamen inter eos patet dissimilitudo. Nam quum Lacedaemonii philosophiam negligenter, senatoribus eorum defuit ἐπιστήμη, qua

sola Plato principes suos perfectae virtutis participes et ad imperandum idoneos fieri existimabat. Tamen ut Lacedaemoniorum senatores aetate longius proiecti erant, ita Plato eos, qui reipublicae praessent, natu maiores esse voluit. V. de Rep. p. 412c: πρεσβυτέρους τοὺς ἄρχοντας δεῖ εἶναι. Nam apti ad rempublicam gubernandam non videntur, nisi qui jam spectatae prioribusque vitae temporibus probatae sunt virtutis (de Rep. p. 412e).

Sed haec similitudinis vestigia tenuia sunt; clarior fit comparatio in ἐπίκουροις illis Platonis, quos Hermannus Spartiatis respondere et studiis et institutione demonstravit. Differunt enim ἐπίκουροι sive milites a principibus et inde ingenii natura et educatione. Hi enim aurei a Platone, illi argentei appellantur, nam hi sunt ad philosophiam, illi ad arma promptiores; hi perfectae virtutis participes, illi fortitudinis studiosi; hi et arte gymnastica et musica accuratissime erudit ac deinde ad singulas disciplinas, arithmeticam, geometriam, alias progressi denique ad veritatem cognoscendam ideamque boni intuendam accedunt, illi in primis educationis gradibus, arte musica et gymnastica acquiescent. Quae autem tertio Reipublicae libro de custodibus arte musica et gymnastica erudiendis exponuntur, ea non solum de iis, qui ad rempublicam gubernandam accedunt, sed etiam de militibus intelligenda sunt. Si jam Platonis de arte gymnastica praecepta cum Lacedaemoniorum institutis propter bellum excogitatis comparantur, non est dubium, quin multa philosophus inde mutuatus sit. Quae vero instituta Lacedaemonii maxime idonea habuerint ad fortitudinem bellicam comparandam, Plato ipse docet de Legg. p. 633. Quo in loco enumerantur communia convivia (τὰ συσσίτια) et gymnasia et venationes et καρτερήσεις τῶν ἀλγηδόνων et χειμώνων τε ἀνυποδησίαι καὶ ἀστρωσίαι, denique gymnopaediae. His fere in rebus etiam apud Platonem exercitationes gymnasticae versantur, eumque imitatorem Lacedaemoniorum in his locis deprehendes: de Rep. p. 412b, ubi haec disseruntur: χορείας τι ἄν τις διεῖτοι καὶ θήρας τε καὶ κυνῆσιν καὶ γυμνικοὺς ἀγῶνας παῖς ἵπποις; σχεδὸν γάρ τι δῆλα δή, ὅτι τούτοις ἐπόμενα δεῖ αὐτὰ εἶναι καὶ οὐκέτι χαλεψὰ εὔρειν; p. 413d: καὶ πόνους γε αὖ καὶ ἀλγηδόνας καὶ ἀγῶνας αὐτοῖς θετέον; p. 416e: φοιτῶντας δὲ εἰς συσσίτια ὥσπερ ἑστρατοπέδευμένους δεῖ κοινῇ ζῆν. Notissimum est, Lacedaemonios summo studio, quae ad effeminandos animos pertinere fortitudinemque frangere existimaverint, longissime a se removisse. Hanc ob rem Lyceurgus civibus suis usu auri argentique interdixerat. Plato autem, ne quid inchoatum imperfectumque relinquaret, inter custodes omnia bona communia esse voluit. V. de Rep. p. 416d: δεῖ οὐσίαν κεκτημένον μηδεμίαν μηδένα λέιαν, ἀν μὴ πᾶσα ἀνάγκη. ἔπειτα οὐκησιν καὶ ταμεῖον μηδένι εἶναι μηδὲν τοιοῦτον, εἰς δὲ οὐ πᾶς ὁ βουλόμενος εἰσεσι. Praeterea Plato simplicitatem cibi potusque commendat, ebrietatem dapesque Siculas, Συρακούσιαν τραπέζαν et Σικελικὴν ποικίλαν ὕψων et Atticas placentas a sua civitate removet, in omnibusque his rebus vivendi rationem ab Lycurgo institutam a se probari docet.

Venio nunc ad artem musicam, quam philosophus in educatione liberorum cum arte gymnastica bene conjungendam esse ostendit. In qua arte quamquam apud Platonem complures ea comprehenduntur disciplinae, quae Spartae neglectae jacebant, tamen, quatenus ad modos numerosque pertinet, Platonis placita ab Lacedaemoniorum sententiis non multum absunt. Notum est enim, in hac arte Lacedaemonios non mediocrem sibi laudem comparavisse. Optimam virtutum magistrum esse musicam, dummodo recte ea uti velis, et Lacedaemonii et Plato viderunt. Atque illorum de optimo musicae genere judicia fere eadem sunt quae Platonis. Rejicit enim hic sicut illi et Lydios et Ionium modum, quibus animos querelis et molitie nimiaque cupiditate impleri censet; admittit Phrygiam harmoniam, summis laudibus extollit Doriam, quum et in vitae calamitatibus constantiam alat et in proeliis ad fortitudinem im-

pellat. Item instrumentis musicis multarum fidium civibus suis interdicit et praecipit, ne quid in re musica novetur (de Rep. p. 398 sq.) Hoc loco Platonem Lacedaemoniorum morem ante oculos habuisse docet Morgensternius intelligi posse, si ea, quae Plutarchus in instit. Lac. 238 de Terpandro et Timotheo musicis narrat, comparentur. Laudat ipse Plato in legibus p. 660c. Lacedaemonios et Cretenses, quod soli inter Graecos musicis et poëtis certas leges scribant, ut ii et in arte sua studio novarum rerum abstineant et eos, qui audiunt, ad virtutem vocent. Poëtas, ut etiam de his dicam, Lacedaemonii et nonnullos ipsi habebant et inter peregrinos maxime iis acceptus erat Homerus, cuius carmina jam ab Lycurgo in Graeciam perlata esse dicuntur. Plato in Homero multa reprehendit, quod tum de diis fabulatur, quae eorum numine minus digna sint, tum de hominibus narrat, quae ad virtutem augendam nihil valeant. Tamen suspicari licet Platoni etiam in Homero ceterisque poëtis eadem fere placuisse quae Lacedaemoniis; quibus autem omnia narrationes proeliorum et exempla fortium virorum proposita antiquitasque morum, quamquam Homerus magis vitam Ioniam quam Dorianam describit, oblectamento erant. Atque hoc ipsum Lacedaemonios non fungisse verisimile est, si Megillum Lacedaemonium audimus, qui de Leg. p. 680c. ita dicit: ἡμεῖς δ' αὐτὸν χρώμεθα μὲν Ὁμήρῳ, καὶ ἔστι τοις τοιούτων ποιητῶν, οὐ μέντοι Λακωνίκον γε, ἀλλά τινα μᾶλλον Ἰωνικὸν βίον διεξέρχεται.

Sed his de arte musica et de poëtis expositis, sequitur, ut paucis verbis choros persequamur. Plato in republica choros verbo tantum attingit, uberioris, quomodo instituendi sint, disserit in Leg. p. 664, suntque omnia sine dubio ad morem Lacedaemoniorum expressa. Scribit enim Plutarchus Lyc. 21. Lacedaemone festis diebus tres fuisse choros, unum puerorum, juvenum alterum, tertium senum, et primum quidem senes cantavisse illud:

ἄμμες πόλις ἡμεῖς ἀλκιμοὶ νεανῖαι,

deinde viros:

ἄμμες δέ γ' εἰμέν· αἱ δὲ λῆσι, πεῖραι λαβέ,

postremo pueros:

ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάρρονες.

Simili modo Plato tres choros, unum puerorum, adulescentulorum alterum, tertium viorum esse vult, senes eximit iisque, ut de rebus divinis fabulentur, tribuit.

Quoniam ad hunc locum oratio pervenit, videbimus tantum abesse, ut Plato praeter modum laudes Lacedaemoniorum amplificaverit, ut eadem fere, quae nostris quoque temporibus in eorum republica reprehendimus, iis vitio verterit. Nam finis reipublicae propositus, ad quem educatio dirigitur, apud Platonem et Lycurgum non prorsus est idem. Lycurgus enim quum reputaret, quomodo respublica foret quam potentissima, operam dedit, quod jam supra commemoravimus, ut cives praecipue fortitudinem colerent, Plato contra, cui haec negligentia minus placebat, in sua civitate non solum fortitudinem, sejunctam secretamque a ceterarum virtutum connexu, sed perfectam virtutem, τὴν τελείαν ἀρετήν, posuit. Quod igitur mancum in Lacedaemoniorum institutis vitiosumque ducebat, id supplere et emendare studuit. Itaque in prioribus de legibus libris in civitate bene temperata non ea solum instituta, quae civium animis fortitudinem ingignant, sed etiam, quae temperantiam, sapientiam, justitiam, esse debere demonstrat. Sed ab eo fine Lacedaemonios longissime abesse putabat, quod philosophia apud eos non modo jaceret, sed omnino ne attingeretur quidem. Deinde vero quamquam ars musica, quantum ad modos numerosque spectat, Spartae non negligebatur, eam tamen artem, quae simul poësin litterasque comprehendit, aut aspernabantur Lacedaemonii

aut non recte cum arte gymnastica conjungebant. In qua conjunctione bonam educationem positam esse Plato existimabat. Arti autem gymnasticae Lacedaemonios plus tribuisse quam musicae, Plato ipse de Leg. p. 673c judicat, ubi hospes Atheniensis Megillo Lacedaemonio et Cliniae Cretensi dicit: πολὺ ἐν ταύτῃ τῇ τέχνῃ (artem gymnasticam intelligit), πλέον ἐμπειρίας η ἐν ἔστηῃ (τῇ μουσικῇ) μετέχετε. Cum hoc loco conjungenda sunt, quae de Rep. p. 410 sq. disseruntur: eos errare, qui putent, ad animum erudiendum valere artem musicam, gymnasticam ad corpus formandum, quum potius utraque propter animum instituenda sit. Qui autem gymnasticam tractent, musicam negligant, eos fieri justo duriores agrestioresque; qui gymnasticam aspernentur, musicae studeant, moliores evadere. Quae quum ita sint, in quorum animo mero gymnasticae studio feritas quaedam et τὸ θυμοειδὲς illud crescat, eos decere musica uti, quoniam in animo ita comparato si bona institutio accesserit, durities mansuetudine leniri et mitigari atque ad fortitudinem perduci possit. Quod qui intermittunt, sic enim pergit, osores flunt disputationum (μισόλογοι) et musis inimici, vi et feritate ut beluae omnia agunt, et in ignorantia ac stoliditate sine concinnitate et venustate aetatem degunt. Haec ad Lacedaemonios pertinere, ex iis quae de timocratis disputantur, manifestum est. Plato enim Laconicam civitatem a sua non parvo spatio abesse judicans illi aristocratiae nomen indere dubitat. Itaque in loco, qui est de leg. p. 691d, quamquam divinum aliquod numen docet effecisse, ut Spartae semper bini essent reges (hac enim re superbiam injustitiamque facilius repellи), in tanta tamen laude reprehensio quaedam subaudiri potest. Nam demonstrat Plato, binorum regum imperio instituto rempublicam nondum ad sanitatem pervenisse ob eamque rem Lyurgum ratum rempublicam aegrotare (φλεγμανεῖν) senatum suum instituisse, ut regiam potestatem temperaret et ad justum modum reprimeret. Atque etiam tum republica fluctuante juvenili quodam vigore, a Theopompo vel alio quopiam (nomen enim Plato non appellat) quinque ephoros introductos esse, ut quasi habenae reipublicae adducerentur. Quae quum ita sint, Plato se confitetur nescire, utrum Lacedaemoniorum rempublicam, quam non simplicem naturam habere, sed compositam vel mixtam esse videat, aristocratiam, an democratiam, an monarchiam appellat. Vide de leg. p. 712d; καὶ μὴν συννοῦν γε τὴν ἐν Λακεδαιμονίῳ πολιτείᾳν οὐχ ἔχω σοι φράζειν οὕτως, ἵν τινα προσαγορεύειν αὐτὴν δεῖ. καὶ γὰρ τυραννίδι δοκεῖ μοι προξειδέναι· τὸ γὰρ τῶν ἐφόρων θαυμαστὸν ὡς τυραννικὸν ἐν αὐτῇ γέγονε· καὶ τις ἐνίστε μοι φάίνεται πασῶν τῶν πόλεων δημοκρατουμένη μάλιστ' ἐσικέναι· τὸ δ' αὖ μὴ φάναι ἀριστοκρατίαν αὐτὴν εἶναι παντάπασιν ἄτοπον. Pari modo in Republica Lacedaemonios, quamquam inter omnes ad optimae civitatis formam proxime accedant, multis tamen rebus inferiores esse confirmat vitiisque enumeratis ad hoc judicium descendit, τὴν τῶν Λακεδαιμονίων πολιτείαν μεμιγμένην εἶναι ἐκ κακοῦ καὶ ἀγαθοῦ. Inter civitates vero, quae tunc erant, palmam tribuit τῇ ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπαινουμένῃ τῇ Κρητικῇ τε καὶ Λακωνικῇ (de Rep. p. 544c) eamque postea timocratiā sive timarchiam appellat; tum sequitur oligarchia, deinde democratiā, postremo tyrannis. Jam quaerens, quo modo ex aristocratiā fiat timocratiā, causam depravationis in eo invenit, quod ii, qui civitati praeſunt, artem musicam negligere incipiunt, παρ' ἔλαττον τοῦ δέοντος ἡγησάμενοι τὰ μουσικῆς (p. 546d). Verba, quae sequuntur: δεύτερα δὲ τὰ γυμναστικῆς, quia nullo modo ferri possunt, ab Hermanno omittuntur. Fortasse legendum est: δεύτερα τε γυμναστικῆς, ita ut sensus sit: justo minorem putantes artem musicam et inferiorem quam gymnasticam (vid. infra p. 548c: διὰ τὸ πρεσβυτέρως γυμναστικὴν μουσικῆς τετιμηκέναι). In tali civitate quamquam nonnulla aristocratiae instituta manserunt, quod principes in honore sunt et milites ab agricultura quaestuque abstinent, quod publica convivia et gymnasticae exercitationes bellique stu-

dium coluntur, plura tamen commutata sunt. Neque enim jam sapientes et justi homines ad gubernaculum reipublicae sedent, sed mixti, in quorum animo τὸ θυμοεῖδὲς illud honorisque studium dominatur, quique ad arma paratores sunt quam ad pacem. Cumulat philosophus hoc loco vitia Lacedaemoniorum, quoniam magnopere ejus interest demonstrare, quam longe eorum civitas in tanta praestantia a perfecta virtute discesserit. Ac non modo callidiores eos dicit (quis non cogitat de Lacedaemoniorum fraudulenta calliditate?) sed etiam pecuniae cupidissimos, quod cum iis, quae in Alcibiade de eorum divitiis narrat, bene congruit.

Sed de his rebus hactenus. Si jam, quae sunt a nobis de Platonis sententia, quam de Lacedaemoniorum republica habuerit, dicta comprehendimus, haec praecipue sunt, quae pro certo et explorato affirmaverimus. Insana studia τῶν λαχωνικῶν, iisque qui non satis intelligent, quanam in re praestantia Laconicae civitatis sit posita, a Platone improbantur. Nihilo secius jam a prima aetate rempublicam Lacedaemoniorum adamavit, et quod patricio quodam spiritu ductus multitudinem spernebat, Spartae autem videbat imperium apud nobilitatem esse, et quod reipublicae illic id propositum esse intelligebat, ut aut virtus aut certe virtutis particula a civibus coleretur. In hoc amore qui justum modum non excedebat, Plato per totam vitam perseverabat. Nonnullis locis, quibus nimiae laudes contineri videntur, a Platone de industria res facete amplificantur exornanturque, reliquis Lacedaemoniis nonnisi debita laus tribuitur; patriae amor in Platone bene cognoscitur. In Republica Platonis multa sunt aut ex Lyceuri institutis deprompta aut, quae ab illo inchoata relicta erant, ad certum finem perducta, ut obedientia legibus praestanda, publica institutio, ratio vivendi, communia bona. Itaque inter omnes Graeciae civitates Laconicam optimam esse existimat. Attamen vitia non omittit, neglectam philosophiam, artem gymnasticam litteris antepositam. Injuste igitur faciunt, qui Platonem ingratum in patriam fuisse Lacedaemoniorumque instituta caeca quadam cupiditate praetulisse contendant.